

cum obitus vel depositionis tum successoris ordinationis traditos habemus, ab intervallis illis ita discedant, ut de librariorum erroribus nullo modo cogitari possit. Formulam *cessavit episcopatus* suppeditavit catalogus Libe-rianus unicum eius generis intervallum in persecutione Diocletiana adnotans; Pontificalis peraeque intervalla ita formavit, ut paucis diebus mensibusve continerentur et sic quoque de episcopalis successionis ordine continuo dubitatio omnis tolleretur. Hoc tenendum est ibi quoque, ubi de spatio episcopatus constat, certam computationem eo impediri, quod intervalla per tempora antiquiora in nullo episcopo recte tradita habemus.

---